ria, & Superiores nomine ipsorum possunt, & tenentur de superfluis eleemosynas facere pauperibus: & ratio est, quia ut ait Molina t. 2. de Justitia disp. 276. ipsi quoque obligantur præcepto communi dandi eleemosynam, sicut alii.

46 Postremò, ex dictis resolvitur quæstio, an Religiosi vitam communem, non observantes sint proprietarii, & pœnas incurrant propietariis inflictas. Etenim ut optimè Lezana discurrit cap. 6. cit. in fine, loquendo de illis Monasteriis, & Conventibus, in quibus vitæ communis superius explicatæ observantia viget, si aliqui Religiosi eam non observant, absque dubio proprietarii censendi sunt, ac ut tales plectendi, & ratio est, quia Conc. Tr. sess. 23. cap. 1. Regularibus omnibus tam viris, quàm mulieribus præcipit, ut communem vitam, victum, & vestitum fideliter observent, quod præsertim intendit de Monasteriis, & Conventibus, ubi singulis Religiosis necessaria subministratur pro victu, & vestitu secundùm decentiam suis status. Tùm quia in tali casu prædicti Religiosi peculia possident, & portiones contrà intentione Regulæ, quam professi sunt, & voluntatem suorum Superiorum, ac etiam Summorum Pontificum, ut constat ex eorum decretis superius allatis. Loquendo autem de aliis Conventibus, in quibus vitæ communis observantia non viget, vel propter eorum penuriam, & impotentiam subministrandi necessaria omnibus, & singulis Religiosis, vel propter malitiam, & negligentiam Superiorum, qui nolunt, vel negligunt singulis Religiosis necessaria subministrare pro victu, & vestitu, excusari possunt à peccato proprietatis, si alio modo commodè, & secundum decentiam status vivere nequeunt, & ad minus communem depositum, vel ærarium servare debent modo jam explicato. Ità Lezana loc. cit. cum Bartolomeo à Sancto Fausto de Voto paupertatis quæst. 196. & 197. Qui tamen, & valdè notabiliter addit Religiosos, ità viventes, quia aliter vivere non possunt, & vitam communem in prædictis Conventibus observare non possunt, paratos, semper, & promptos esse debere ad reformationem recipiendam, & vitæ communis introductionem, si à Superioribus de novo instituatur, seù restauretur; nec ullo modo talem reformationem, & vitæ communis restaurationem sinè gravissimo mortali peccato renuere posse, & ratio est, quia cùm modus vivendi in vita communi Religiosos omnes sub mortali peccato universaliter obliget, nec ab illius observantia aliter excusari possint, nisi quia Monasterium illis necessaria non subministrat pro victu, & vestitu secundùm decentiam status; eò ipso quòd hujusmodi necessaria illis suppeditantur, & providentur, nulla amplius remanent excusationis ratio, & hanc ait Lezana esse communem Doctorum sententiam Sylvestri, Valentiæ, Lessii, Navarri, Rodriquez, Bartholomæi à Sancto Fausto, & aliorum passim, quotum plures inquit præsertim loqui de obligatione Superiorum ad prædictam vitam communem in omnibus Conventibus introducendam.

47 Et quidem rationabiliter DD. allati hanc Superiorum obligationem exagerant, quia ut inquit Faber noster disp. 45. cit. n. 138. quærens, undè proveniat, quòd in quibusdam Religionibus vita communis exacta non seruetur, nec introduci possit; quamvis hoc proveniat ex nonnullis Religiosis privatis, & subditis, qui parum Deum timentes, & suæ professionis immemores, volunt pecuniis pro voluntate uti; principaliùs tamen, & majori ex parte ex imperfectione, & culpa Superiorum majorum provenit, ut ibi cum Navarro ostendit; quamvis enim extrinsecè sanctitatem, & sermonibus publicis, ordinibus, & factis quibusdam externis Religionis reformationem, & Vitæ communis reparationem prætendere videantur: intrinsecus tamen sunt Lupi rapaces, & non nisi pecuniæ inhiantes, & munera accipientes à Religiosis dignitates, & officia ambientibus, quantumvis indignis, & dignioribus prætermissis, & hoc quotidiana experientia demonstrat in quibusdam Religionibus, Ministri enim Generales terminato eorum officio, ditiores fecti, dignitates Ecclesiasticas extrà Religionem quærunt, vel si in religione persistant, omnes cumulatas opes ad suos Conventus deferunt, in quibus nec etiam vitam communem observari procurant, & hoc est, quod Faber noster zelo Religionis impulsus exagerat, & cum lacrymis deplorat. &c. Ad majorem voti paupertatis declarationem hic ulteriùs agendum esset de largitione munerum Regularibus utriusque sexus interdicta, siquidem Clem. VIII. in Bulla 28. quæ incipit *Religiosæ*, ut votum paupertatis integrè servaretur, & bonis religionum consuleretur munerum largitiones, seù donationes fieri interdixit, injuncta tàm largientibus, quàm recipientibus pœna; sed quia de hoc fusè, & exactè pertractant Bon. t. 1. tr. var. disp. 3. Joannes Cruz l. 1. c. 3. dub. 4. & Faber disp. 45. cit. c. 4. in fine, breviter complectitur omnia in prædicta Bulla contenta, brevitatis causa omittimus Lectorem ad loc. c. remittendo. Hìc etiam agendum esset de obligatione Religiosorum recitandi Divinum officium, sed hæc etiam obligatio saltem quoad magis essentialia constabit ex dicendis de eadem obligatione Clericorum sæcularium q. seq.

QUÆSTIO SECUNDA.

De Statu Clericali.

48 NOmine Clerici generaliter intelliguntur illi, qui Sacris Ordinibus sunt initiati, vel saltem prima Tonsura; ad quorum statum cum plura pertineant jam declarata lib. 4. sent. in Tractatu de Sacramentis, & alia plura etiam inferius discutienda in eadem materia, hìc solùm agemus de Horis Canonicis seù de Divino Officio recitando, de Beneficiis Ecclesiasticis, & Simonia; ut quilibet Sacris Ordinibus initiatus, aut Ecclesiasticis Ministeriis adscriptus facilè dignoscere possit, quæ sit muneris sui partes, & quid ratione characteris, & beneficii, vel officii suscepti agere teneatur.

ARTICULUS PRIMUS.

De obligatione recitandi Divinum Officium, seù Horas Canonicas.

49 OFficii Divini, vel Ecclesiastici nomine intelligitur series Horarum Canonicarum certis temporibus ab Ecclesiasticis recitanda ex præscripto, ac institutione Ecclesiæ, & ex antiquissima Apostolorum, ac Patrum traditione: quatuor autem præsertim de Horarum Canonicarum recitatione quæri solent. Primum, quænam personæ ad illas recitandas obligentur. Secundum, quomodo horæ illæ recitari debeant; ut tali obligationi satisfiat. Tertium, quanta sit hæc obligatio, & quibus pœnis subjaceant illi qui recitare omittunt. Quartum denique quænam causæ ab illarum recitatione excusent, de quibus plura tractant DD. tàm veteres, quàm Recentiores, quę nos breviter hoc articulo perstrigemus magis necessaria tangendo ad prolixitatem evitandam in materia satis trita:

50 Primò itaque quo ad personas huic obligationi subjectas conveniunt communiter Doctores hanc obligationem ex triplici capite oriri; nimirum ex susceptione Ordinis Sacri, ex beneficio Ecclesiastico, & ex Religiosi status professione, atque ideò tria esse personarum genera, quę ad Horas Canonicas recitandas obligantur, scilicet, initiatos Sacris Ordinibus; beneficium aliquod obtinentes, & Religiosos, seu in statu Religioso constitutos. In primis igitur omnes Clerici in aliquo Ordine Sacro constituti ad Horas Canonicas privatim recitandas sub culpa mortali obligantur, etiam si nullum Ecclesiasticum beneficium possideant. Ita communiter Doctores omnes, & præsertim ex nostris Astesanus lib. 6. tit. 1. art. 6. cum D. Bonaventura 4. dist. 24. par. 1. quæst. 1. art. 4. & apertè constat ex cap. *Dolentes* de Celebratione Missarum, ubi sic dicitur: *Direlle præcipimus in virtute Sanctæ Obedientiæ, ut Divinum Officium nocturnum, pariter, & diurnum, quantum eis Dominus dederit studiosè pariter celebrent, & devotè*, præceptum autem obligat ad mortale, hec etiam constat ex generali totius Ecclesiæ praxi, & consuetudine, quę vim legis obtinere meritò censetur, ut rectè Navarrus observat c. 7. Deindè etiam omnes Clerici beneficium aliquod Ecclesiasticum obtinentes, etiamsi nullo Sacro Ordine sint insigniti, ad easdem Horas Canonicas recitandas similiter obligantur ex Divo Bonav. lo. cit. & expresse id etiam deducitur ex cap. *Quia per ambitiosam*, de rescriptis in §. & ex Concilio Lateranensi sub Leone Decimo sess. 9. in Bulla reformationis §. *Statuimus*, quam Constitutionem renovavit postea & explicavit Pius V. Bulla sua 138. quæ à Navarro refertur cap. 26. Imò Astesanus loc. cit. addit, quòd Clerici beneficiati sunt obligati ad dicendas Horas Canonicas non tantum ex statuto Ecclesiæ, sed etiam ex obligatione justitiæ, quia Laici sæculares dederunt eis redditus, ut quia ipsi implicitè assiduè negotiis sæcularibus non poterant intendere Divinis, ipsi Ministri Ecclesiæ vices eorum suppleant in Canonicis Horis recitandis, Quod autem dictum est Clericos in aliquo Ordine Sacros constitutos ad Horas Canonicas privatim recitandas sub culpa mortali obligari, intelligendum est etiamsi sint suspensi, excommunicati, interdicti, depositi, aut degradati, tùm jure Ecclesiastico, tùm generali Ecclesiæ consuetudine, ut communiter docent DD. & ratio est, quia ut inquit Navarrus in Summa cap. 7. cit. tales privantur honoribus, non oneribus, recitatio verò Divini officii onus est, non honor.

51 Quod

51 Quod verò ad Religiosos spectat, quamvis aliqui dixerint ad recitationem Divini Officii non teneri, nisi in aliquo Ordine sacro sint constituti, vel speciali aliquo Regulæ suæ præcepto ad id obligentur. Communis tamen, & vera sententia est Religiosos omnes, & singulos, qui Religionem profitentur Choro addictam; etiamsi in Sacris Ordinibus constituti non sint, non minus quam Clericos majoribus Ordinibus initiatos ad Divinum Officium recitandum, sub culpa mortali obligatos esse, Et ratio est, quia licèt ad id ratione professionis non obligentur, cùm tantùm vota Religionis professi fuerint, non autem Divinum Officium recitare, neque etiam ex aliquo Ecclesiæ præcepto, cùm nullum tale reperiatur; nihilominus antiqua, & laudabilis Religionum consuetudo ad illos obligat, undè ad id tenentur vi generalis consuetudinis, quæ in omnibus Religionibus Choro addictis recepta est, quæ si in aliqua Religione talis non vigeat consuetudo, sicut dicitur esse in Societate Jesu, non erit talis obligatio, ità Sanctus Antonin. Medina, Rodriq. Suarez, Valentia Azorius, Lezana, Bellarminus, Lessius, Layman, & alii passim. Professi verò, qui non sunt Choro destinati, verbi gratia, Laici, vel Conversi Religionum, ad id non obligantur nec ex vi professionis Religiosæ, nec ex aliquo præcepto Ecclesiastico, aut consuetudine, sed tantùm ad dicendas certas orationes: *Pater noster*, & *Ave Maria*; juxtà institutum Regulæ, quam sunt professi, vel suarum Constitutionum, ut patet de Conversis Ordinis nostri Minorum, qui ad prædictas orationes sub mortali tenentur ratione Regulæ. Neque etiam Novitii ad Officium Divinum tenentur, nisi aliàs sint in sacris constituti, quia nulla lex, vel consuetudo ad id illos obligat, si quidem non adhuc vere Religiosi censentur, nec in onerosis, sub hac voce comprehenduntur. Ità Doctores omnes citati. Præterea ex Clementin. 1. de Regular. omnes Ecclesiæ Regulares tenentur psallere in Choro quotidie Horas Canonicas, & quamvis hoc præceptum omnes, & singulos obliget Religiones magis, vel minus juxtà modum sui Instituti, probabilissimum tamen censet Lez. c. 12. cum Suarez, & pluribus aliis hanc obligationem esse sub moraali, quia ita est communiter receptum, & inquit hanc obligationem præsertim cadere in Superiores locales Conventuum, & Monasteriorum; illis enim curare incumbat, ut eorum subditi huic muneri satisfaciant, & ratio est, quia quoties obligatio aliqua cadit in corpus aliquod mysticù, & Communitatis, capitalis corporis, qui est Prælatus præcipue incumbit curare, ut adimpleatur; tandem addit cum Navarro, Azorio, Rodriquez, & aliis, Moniales etiam teneri ad Divinum Officium recitandum, non quidem ex aliquo præcepto Ecclesiastico, sed ex consuetudine, quę habet vim legis, quod etiam Tol. affirmat l. 2. c. 12. cum duplici tamen limitatione, quæ apud ipsum videri potest.

52 Secundò, quod spectat ad modum, & ordinem recitandi Divinum Officium, in primis omnes, qui ad illud recitandum obligantur, recitare tenetur juxta præscriptum Breviarii Romani à Pio V. editi, & Clemente VIII. reformati, ita enim præcipiunt prædicti Pontifices in Bullis super hoc editis, & præsertim Pius V. in Bulla, *Quod a nobis* 1658. edita, ubi tamen ab hac obligatione eximit Ecclesias, & Religiones, quę iam a decentis anni ante illius editionem alio Breviario, vel ex institutione, vel ex consuetudine usi fuerit, eisque permittit, ut illud cinceps etiam retineant. Ordo autem servandus in Horis Canonicis recitandis est, qui à Breviario præscribitur, si tamen juis prædictum Ordinem inverteret, verbi gratia, si Vesperas ante Sextam, aut Nonam recitaverit, sufficit, ut Horas omissas repetat, nec ullum est peccatum, quando id fit propter rationabilem causam; sine illa tamen, vel propter incuriam, aut negligentiam, solùm erit veniale, cùm ejusmodi Ordo extra Chorum præsertim, non sit sub præcepto, nisi secundariò, & tamquam circumstantia minoris momenti, ita enim communiter hoc Ecclesiæ præceptum interpretantur Navarrus, Sotus, Layman, Lezana, Abellius, & alii passim. Singulæ autem Horæ integrè, & continuè recitari debent, & sine notabili interruptione, ut habetur cap. *Nihil* 7. *quæst.* 1. & cap. *Nullus*, *de Consur.* distinct. eò quod unitas unusquisque horæ Canonicæ spectat ad ritum recitandi illam ab Ecclesia præscriptum. Sed difficultas est quale sit peccatum, cum quis Horarum recitationem notabiliter interrumpit; & conveniunt omnes nullum esse peccatum; si id fiat aliqua rationabili causa, si verò nulla talis causa subsit, aliqui existimant culpam esse mortalem, ut Navarrus, & Lezana loc. cit. Alii verò communius, & probabilius censent seclusò contemptu, non incurri, nisi venialem, neque ullam esse obligationem horam inchoatam repetendi, cum singuli Psalmi imò, & singuli ferè versiculi per se suam significationem completam retineant. Addunt tamen, si interruptio, quamvis justa, fuerit diuturna, consultum esse reptitionem facere saltem ab initio Nocturni, vel Psalmi, si id commodè fieri possit. Ità Cajet. Zechius, Layman, Abellius, Fill. Bonac. & plures alii.

53 Omnes etiam Horæ Canonicæ dici debent debitis, & statutis temporibus à legitima cõsuetudine præscriptis, quod præsertim locum habet in recitatione Horarum publica; liquidem in privata, quamvis laudabile sit, ut singulæ Horæ suis temporibus, & intervallis recitentur, nihilominus ad vitandum mortale peccatum, ut notat Tolletus, Lessius, Abellius, & alii communiter, sufficit, ut eo inter vallo recitentur, quod est inter medium noctis præcedentis, & sequentis, qui enim intrà illud tempus recitaverit, sivè in initio, sivè in medio, sive in fine, substantiæ precepti satisfacit. Potest etiam tàm in recitatione publica, quàm privata, dici Matutinum sequenti diei cum laudibus pridie non solùm post Solis occasum, ut quidam dicunt, sed etiam autè illum dictis Vesperis, & Completorio quinque horis post meridiem, sivè in hyeme, sivè in æstate, quia ità etiam consuetudine receptum est apud multos, etiam Romæ, ut testatur Lezana loc. cit. cum Suarez, & aliis. An verò unica Divini Officii lectione duorum dierum obligationi satisfieri possit; quamvis Caramuel juxta suas novas doctrinas in dubium id revocaverit, unanimis tamen, & firma est omnium Catholicorum sententia negativa, ut videre est apud Episcopum Oriolensem Crespinum à Borgia in quæst. selectis Moralibus quæst. 10. casu 3. undè opposita sententia, ut diximus supra disput. 12. quæst. 2. art. 1. num. 37. a Sacra Congregatione damnata fuit die 18. Martii 1666. qua ratione etiam ibi diximus, auditione unius Missæ obligationi duorum dierum non posse satisfieri; certum est enim, & apud omnes Catholicos indubitatum recitationem divini Officii onus esse affixum diei, undè si non esset introducta consuetudo, vel privilegium concedens, ut Matutinum, & laudes possint dici in Vespere, ad duo officia recitanda teneremur; ergò signum est, quòd voluntas legislatoris fuit ad hoc obligare, nec privilegium, ut solutione Matutini, & laudum anticipare possimus, debet esse in fraudem legis, ut rectè discurrit Episcopus Oriolensis loc. cit. Tum quia certum est nõ posse recitari totum Divinum Officium diei sequentis in Vespere præcedenti, sicut Matutinum; ergò voluntatem expressam legislatoris habemus, quoad duplex officium Divinum, ut obligationi duorum dierum satisfiat. Demum attentio quoque, vel devotio necessaria est recitantibus Horas Canonicas, ut patet ex cap. cit. *Dolentes*, de Celebratione Missar. & hoc præceptum attentionis, seù devotionis ex communi sententia obligat sub peccato mortali, nisi excuset levitas materiæ, quando, scilicet, est defectus attentionis ad paucos versus, vel pauca verba. Qualis autem, & quanta hæc attentio esse debeat jàm diximus loc. cit. disp. 12. qu. 2. art. 1. num. 34. & seq. declarando attentionem necessariam ad satisfaciendum præcepto audiendi Missam.

54 Tertiò, quanta sit hæc obligatio quotidie recitandi Divinum officium, patet ex dictis ab initio articuli tantam esse, ut mortaliter peccet quisquis hoc onus habens, Horas Canonicas, vel notabilem earum partem voluntariè omittit, & hæc est communis Doctorum opinio contra paucos quosdam dicentes non esse peccatum mortale, nisi quis habeat consuetudinem eas omittendi, quæ sententia nihil probabilitatis habere videtur, tum quia est contra torrentem Doctorum, tum quia permittit violari præceptum in re gravi, & ad virtutem Religionis pertinens. Quæ autem sit omissio materiæ notabilis ad peccatum mortale sufficiens Doctores non conveniunt. Quidam enim arctè nimis, ut Navarrus, existimant omissionem tertiæ partis unius parvæ Horę, verbi gratia, unius psalmi cum Hymno esse peccatum mortale. Alii è contra laxè nimis, ut Escobius, dicunt unam parvam Horam non esse partem notabilem respectu totius officii, quod per modum unius est præceptum. Communis tamen, & probabilior opinio media incedit via dicens materiam notabilem, cujus omissio est peccatum mortale esse integrum unius diei officium; vel integram aliquam Horam, ex brevioribus, vel ut addunt aliqui, dimidiam etiam partem illius, undè mortale non erit omittere unum psalmum etiam ex Horis brevioribus, unam Lectionem, vel quid simile ex Matutino, nec tertiam partem Horæ parvę, quia non censetur pars notabilis, & talem etiam dicunt aliqui esse in Matutino, quod est æquale uni parvę horę, undè cùm certa regula dari nequeat in hac materia notabili assignanda, judicio propriæ conscientiæ standum erit, quæ prudens sit, & timorata; & in casu dubii ad scrupulos tollèdos explicandum erit in Confessione, qualis, & quanta fuerit.

55 Quoniam verò, ut ab initio articuli dictum est, obligatio in beneficiariis Clericis gravis est, & sub pecca o mortali ex suo genere, & non sint tantum ex virtute Religionis, sed etiam ex virtute justitiæ, quod etiam docent Sanctus Antonius, Medina, Suarez, Layman, & alii communiter; ideò præter peccati mor-

conferenda, nec aliter sine gravi peccato fieri potest, ut expressè docet Trid. sess. 24. cap. 1.

64 Sextò tandem conveniunt Doctores beneficia Ecclesiastica quatuor modis amitti, & vacare, ut Layman advertit loc. citat. cap. 17. Primò per mortem beneficiati, ad quam vacationem requiritur, ut beneficiatus habuerit jus in re, & quasi dominium beneficii, nimirum ut in beneficio electivo per legitimam electionem, & confirmationem institutus fuerit. Secundò ex juris dispositione decernentis in tali, vel tali casu beneficium vacare ipso facto, atque ab altero impetrari posse; idque vel propter alterius beneficii incompatibilis consecutionem, ut v. gr. Episcopatus, ex cap. *Cùm in cunctis*, & cap. *Multas de prabendis*. Vel propter professionem religiosam, ut si beneficiatus Religionem, sit professus cap. *Beneficium de Regularibus* in 6. Vel per contractum Matrimonii cap. *de diversis* de Clericis conjugatis. Vel propter commissionem criminis, cui amissio beneficii ipso facto est annexa, ver. gr. hæresis, schismatici, sodomiæ sæpius exercitæ, &c. quamvis etiam tunc opus sit sententia Judicis declaratoria criminis, antequam criminosus beneficium dimittere non teneatur, ut docent Azorius, Sanchez, Henriquez, Layman loc. cit. & plures alii. Tertio per Judicis sententiam ob crimen, cui talis inferenda pœna à jure decernitur, scilicet, in homicidam cap. *Clerici*, Ne Clerici, vel Monachi; in hæreticorum receptores, & fautores capit. *Excommunicamus* de Hæreticis, item in perjurium secundum Glos. in cap. *Quærelam* de jurejur. Est autem non modicum discrimen inter privationem beneficii ipso jure latam, & eam, quæ per Judicis sententiam inferenda est; etenim si beneficium per Judicis sententiam vacare debeat, neque fructus antè percepti condemnato auferri possunt; neque resignatio, aut communicatio beneficii ab eodem facta rescindi potest; benè tamen, si pœna privationis ipso jure contracta sit; item si per sententiam Judicis ferendam beneficium vacet, non potest impetrari, aut auferri, antequam privationis sententia in criminolum feratur; benè tamen si beneficium ob crimen ipso jure alicui adimatur. Quartò tandem vacat beneficium per liberam renunciationem, seù resignationem, quæ definitur, *spontanea proprii beneficii dimissio facta coram legitimo Superiore id acceptante*, & notanter dicitur *dimissio*, quia per renunciationem aliquis jus in beneficio amittit, itaut vacare censeatur, & alteri possit legitimè conferri. Additur *spontanea*, quia dimissio metu exorta, aut dolo, & fraude, irrita est, vel saltem irritari debet juxtà cap. *Super hoc de renunciat.* & cap. *Ad aures* de his, quæ vi, metusve causa. Ità Layman loco citato cum pluribus aliis ab ipso adductis. Quocumque autem modo ex prædictis beneficium aliquod obtineatur, aut per resignationem dimittatur; Simoniæ peccatum præ cæteris evitandum est, quod in omnibus prædictis modis contingere potest, tàm ex parte obtinentis, quàm conferentis, aut patroni, de quo quidem peccato, quoniam frequenter evenire solet, ex professo agemus qu. seq.

ARTICULUS TERTIUS.

De Beneficiatis, ac eorum obligationibus.

65 PRimò, ad residentiam personalem in loco beneficii ad obsequia Ecclesiastica personaliter reddenda obligantur in primis omnes habentes beneficia, quibus animarum cura incumbit. Ità ex cap. *Nonnulli*, & in suo Ordine, ex cap. *Cùm ad hæc* deducit Astesanus noster lib. 6. cit. tit. 34. ubi habetur, quòd Clericus residere debet in propria persona faciendo servitium Ecclesiæ, ad hoc enim beneficia sunt instituta, ut servitium in Ecclesia indè fiat; & ità etiam expressè habetur in Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. *de Refor.* ubi decernitur Episcopos, Parochos, eosque qui curatum beneficium habent ad talem residentiam jure divino teneri; nec sufficere, si per alios administrent, nisi majus bonum urgeat; quia contrà rationem est, quod hic officium, & fructus, alter verò onus habeat, & declarat residentiæ nomine intelligi debere assiduam commorationem in loco beneficii ad obsequia Ecclesiastica personaliter præstanda, quod etiam antea docuerat Astesanus tit. 34. cit. ar. 1. ubi ait, quòd qui residet in Parochia, & non exercet officium suum, non dicitur residere, & tenetur ad restitutionem fructuum dicto tempori correspondentium, quia parum est suam præsentiam exhibere, & curam, sivè servitium negligere, quod posteà etiam docuerunt Sylvester, Sotus, Layman, Bonacina, Stephanus à S. Gregorio, & alii passim; undè subdit Astesanus ibidem, quod in Cathedralibus Ecclesiis, & Collegiatis distributioni quotidianæ tantùm præsentibus, qui divinis intersunt juxtà cujuslibet Ecclesiæ rationabilem ordinationem tribui debent; qui verò aliter de distributionibus illis aliquid percipit, illius dominium non acquirit, imò illud totaliter restituere tenetur, nisi eum infirmitas, vel justa, & rationabilis necessitas corporalis, aut evidens Ecclesiæ utilitas excusaret. Permittitur tamen Episcopis à Concilio loc. cit. singulis annis sivè continuè, sivè interruptè à suis Ecclesiis, sivè Diœcesibus ex justa aliqua causa abesse duobus, vel ad summum tribus mensibus. Curatis verò, seù Parochis à suis Ecclesiis, seù Parochiis per duos tantummodò menses, sivè continuè, sivè interruptè abesse posse, idque non nisi justa aliqua de causa, & dummodò idoneos Vicarios ab Ordinario approbatos substituant; quòd si Episcopi intrà annum ultrà tres, & Parochi ultrà duos menses absque legitima causa per Episcopum cognita, & approbata absint, mortaliter peccant, & fructus beneficii non faciunt suos; imò Diana, Bordonus, & alii asserunt supradictum Concilii decretum etiam in Superioribus, sivè Prælatis regularibus habere locum, ideòque eos teneri etiam tempore pestis cum periculo suis assistere; Denique Concilium sess. 24. cap. 10. idem decernit de iis, qui in Ecclesiis Cathedralibus, vel Collegiatis obtinent dignitates, Canonicatus, præbendas, vel portiones, quo nimirum si intrà annum ultrà tres menses absint, primò anno media parte fructuum, secundò verò anno omnibus fructibus, quos illo anno lucrati, sunt, priventur, quæ tamen pœna est sententiæ ferendæ, non latæ, ut communiter Doctores advertunt, & ex ejusdem Concilii verbis deducitur.

66 Secundò, sunt quædam causæ à continua residentia excusantes, & ob quas diuturna absentia quorumcumque beneficiatorum etiam animarum curam habentium licita reddi potest, quæ ad quatuor capita revocari possunt, quorum meminit Concil. Trident. loc. cit. ut advertunt Azorius, Barbosa, Filliucius, Layman, Bonacina, & alii passim; nimirum ut loquitur Concilium, *Christiana, charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas*, quæ tamen causæ a Superioribus approbari debent, ut legitimæ censeantur. Ad primum caput spectat, v. gr. si quis a loco beneficii discedat causa juvandi proximum in gravi necessitate auxilio indigentem, ut scilicet, odia, vel lites componantur. Ad secundùm caput spectat, si a beneficii loco recedat ob aeris intemperiem per aliquod tempus, ob corporis infirmitatem, vel ob aliam justam, & rationabilem salutis corporalis necessitatem, ut ait Astesanus loco cit. ver. gr. ob capitales inimicitias, vel ad litem prosequendam pro jutibus beneficii, & ob alias similes rationabiles causas. Ad tertium caput pertinet, si mandato Papæ beneficiatus absit, vel in Apostolicæ Sedis servitio occupatus, c. *Cùm dilectus*, & cap. *Ad audientiam eodem tit.* ubi Doctores notant, & præsertim Abbas, quod occupatus in servitio Papæ, quia servit Ecclesiæ universali, habetur pro residente in beneficio Ecclesiæ particularis. Ad quartum spectat, si Clericus absit ob negotium Ecclesiæ, ut patet ex c. *Ad audientium*, & c. *ex parte* eodem tit. ut notat Astesanus loc. cit. ubi suse explicat prædictas causas a residentia beneficii excusantes. Hinc excusari possunt Cardinales Episcopi, quos Summus Pontifex non residere permittit, ut illorum opera, consilio, & prudentia utatur in rebus magni momenti ad Ecclesiam pertinentibus, & Episcopi onus legati, vel Nuncii Apostolici suscipientes in obsequium Ecclesiæ, & Reipublicæ Christianæ, quia in his, & similibus casibus adest causa obedientiæ, & utilitatis Ecclesiæ, ut notant Azorius, Molfesius, Reginaldus, Bonacina, & alii passim, & antè omnes Astesanus loc. cit.

67 Dices, Residentia est de jure naturali divino, ut expressè docet Concil. Trid. loc. cit. ubi ait residentiam in beneficiis saltem curatis divino jure necessariam esse, sed Summus Pontifex, & tantò minus Episcopus in jure naturali divino non potest; ergo non potest alicui etiam in prædictis casibus facultatem, & licentiam non residendi concedere, atque ità absens a beneficio etiam de licentia, Superioris non excusatur. Respondetur ex alibi dictis, quod estò Summus Pontifex in jure divino dispensare non possit, potest tamen declarare jus divinum ad hunc, vel illum casum non extendi, atque ità in proposito declarare potest jus divinum naturale residentiæ ad prædictos casus non extendi, & dispensare solùm in præcepto residendi, quatenus pendet a jure positivo humano; etenim, ut Bonacina advertit disput. 5. punct. 5. Residentia pastorum in loco beneficii ad curam gregis, quamvis formaliter sit de jure divino, radicaliter tamen, fundamentaliter est de iure Ecclesiastico, quatenus ab Ecclesia facta est beneficiorum divisio, & quilibet suo beneficio deputatus est, seù quatenus beneficiarius pactum init cum Ecclesia de residendo, quod quidem pactum potestati Ecclesiæ subest.

68 Tertiò, ut pateat, qualiter beneficiati se gerere debeant in expendendis beneficiorum suorum redditibus, loquendo de ea parte redditum, & proventuum Ecclesiasticorum quæ congruæ, & honestæ sustentationi minimè necessaria est, ac proindè ipsi beneficiati superflua, conveniunt Doctores teneri

neri beneficiarios hanc partem in pios usus expendere, & peccaturos illos, si portionem illam superfluam, & redundantem profanis usibus, ut propinquis ditandis impendant, ità enim apertè constat ex Concil. Trident. sess. 22. c. *Reform.* ubi sic loquitur, *Omninò verò eis interdicit, ne ex redditibus Ecclesia consanguineos, familiasve suos augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint iis, ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa; imò quàm maximè potest eos Sancta Synodus monet, ut omne humanum hunc ergà fratres, nepotes, propinquosque carnis effugium, undè multorum malorum in Ecclesia seminarium extat penitus deponant.* Quæ ultima verba præsertim ab Ecclesiæ Prælatis etiam Cardinalibus sunt valdè ponderanda, ut ibi Concilium exprimit. Quid autem per pios usus sit intelligendum conveniùt Doctores nomine pii usus intelligi debere, qui vel ad cultum divinum, vel misericordiam spiritualem, aut corporalem ordinatur, hoc est ad cultum templorum, vel pauperum necessitatem sublevandam: idest, eorum, qui non habent necessaria, sivè ad victum, sivè ad suum statum servandum; item in usum Religiosorum in Cappellanias, Missas, suffragia pro defunctis, hospitalia, & similia opera pia; in prophanos autem usus conveniunt Doctores licitè à Clericis expendi posse in primis bona patrimonialia, quæ nimirum ipsis hæreditate, vel industria, vel donatione, vel alio modo, quo laicis solent, sibi acquirunt, vivendo interim ex fructibus beneficii. Item quasi patrimonialia, quæ nimirum ipsis, tanquam Clericis obveniunt, non tamen ut redditus beneficii, sed ut stipendia alicujus officii Clericalis, & ob aliquas Ecclesiasticas functiones, verbi gratia, ob Missæ celebrationem, concionem, cantum Ecclesiasticum &c. Ratio est, quia de bonis patrimonialibus certum est beneficiarios liberè disponere posse, cùm ejusmodi bonorum verum habeant dominium, sicut laici, neque enim per Clericatum, vel Ordinis susceptionem fiunt dominii incapaces, ac proindè bona patrimonialia ad libitum expendere possunt, dummodò in eis expendendis nihil fiat justitiæ vel charitati repugnans; & idem quousque de bonis quasi matrimonialibus, ac etiam de bonis meræ Ecclesiasticis, seù de redditibus beneficiorum quò ad eam partem tantùm, quæ congruæ cujuscumque sustentationi necessaria est, dici posse, censet Major, Covarruvias, Navarrus, Layman, Abellius, Stephanus à S. Gregorio, & pluries; alii; undè beneficiarii fructus superfluos in pios usus expendere tenentur, & aliter faciendo graviter peccant, non autem fructus, quos sibi subtraxerint ex decenti sustentatione.

69 Quartò præterea est difficultas, an Beneficiarius, qui beneficii fructus suæ congruæ sustentationi superfluos in prophanos usus erogat, non solùm mortaliter peccet, ut dictum est, sed etiam ad restitutionem teneatur: cujus difficultatis resolutio ex alia quæstione pendet, an, scilicet, beneficiarius verum, & proprium habeat dominium illius partis fructuum, & reditumm beneficii, quæ congruæ, & honestæ ejus sustentationi necessaria non est: de qua quæstione duæ extant celebres Doctorum sententiæ. Prima sententia docet post erecta beneficia, cæteroquin proventus singulis titulis assignatos, beneficiarios effici absolutè dominos omnium proventuum: licèt enim beneficiarii non habeant dominium beneficiorum, saltem habent usufructuum: usufructuarius autem dominium fructuum habet: tum quia, & Canones, & Concilia sæpius dicunt, & repetunt beneficiorum munera beneficio debita exercentem facere fructus illius suos: ergò verum eorum dominium acquirit, ac proindè quamvis partem superfluam in prophanos usus expendendo mortaliter peccet, non tamen ad ullam restitutionem faciendam obligatur, non enim ad restitutionem tenetur, qui rem suam distraxit, sed qui alienam, aut alteri debitam. Ità Covarruvias, Sotus, Lessius, Reginaldus, Molfesius, Valentia, Bonacina, & pluries alii. Secunda sententia docet beneficiarios non esse dominos illius partis redundantis, sed tantùm dispensatores, ac proindè ex justitia obligari ad eam partem in pios usus expedendam, aliàs si secus fecerint, non tantùm mortaliter peccare, sed etiam ad restitutionem obligare, idest teneri tantumdem ex aliis bonis in pia opera impendere: assumptum verò probatur, quia in primitiva Ecclesia facta fuit fructuum Ecclesiasticorum divisio in tres Partes, quarum prima usibus pauperum deputata fuit: secunda constituta fuit in reparationem Ecclesiæ, & beneficiorum: tertia in commodam beneficiatorum sustentationem: quod autem in alterius usum deputatum est, non potest sine violatione justitiæ, ex qua consurgit restituendi obligatio, ad alium usum applicari: beneficiarius autem fructus beneficii superfluos profanè expendens eos non applicat ad usum, ad quem sunt deputati; ergò contrà justitiam peccat, & ideò ad restitutionem quoque tenetur. Ità Major, Paludanus, Navarrus, Layman, & alii. Quamvis autem ambæ istæ sententiæ sint valdè probabiles ob auctoritatem, pluralitatem gravium Doctorum eas propugnantium, & ob validitatem rationum, quibus unaquæque fulcitur: posterior tamen communiter censetur tutior, & in praxi consulenda ad tollendos abusus, qui frequenter contingere solent in expendendis beneficiorum redditibus. Denique ex communi Doctorum consensu congrua Beneficiarii sustentatio censetur, quæ ad status, & familiæ sustentationem necessaria est juxtà conditionem status, gradus, dignitatis, qualitatis, & regionis, in qua habitat, undè congrua sustentatio in indivisibili non consistit, nec respectu omnium est æqualis, quia plus requirit Episcopus, quàm Decanus, & hic plus, quam Canonicus, & plus requirit Canonicus in Ecclesia principali, quàm simplex Parochus, & plus debilis, & tener, quàm robustus, & valens, & quod sufficit in uno loco, non sufficit in alio ob varietatem pretii, victus, & vestitus; quapropter regula, & modus congruæ sustentationis attendi debet ex usu aliorum prudentis, & timoratæ conscientiæ, & in eodem gradu. Ità Busembaus lib. 4. cap. 2. dub. 3. cum Molina, Bonacina, Layman. Card. de Lugo, & aliis.

70 Quintò ulterius est difficultas, an Milites Commendatarii, ut sunt Equites S. Jacobi Calatravæ, Alcantaræ, aut Florentinæ Milites S. Stephani, & alii consimiles possint fructus Commendarum ad libitum distrahere, & expendere. In qua quæstione duæ sunt sententiæ. Prima negat, quia hujusmodi Commendæ sunt bona Ecclesiastica, qui autem talia bona obtinet, non potest eorum fructus impendere ad ditandos consanguineos, vel amicos, nec ad prophanos usus distrahere; quod tantò magis de prædictis Commendatariis asserendum est quia sunt veri Religiosi, & votis Religionis adstricti nempè paupertatis, obedientiæ, & castitatis; cum voto autem paupertatis, dominium bonorum, aut fructuum stare non potest. Ità Navarrus, Avilla, Azorius, Reginaldus, & alii, Secunda opinio affirmat prædictos Equites, si profanè fructus Commendarum expenderint, non peccare mortaliter, sed tantùm venialiter, secluso peccato, ad quod illos consummerent; & ratio est, quia dicti Commendatarii sunt domini proventuum, quos ex bonis sibi commendatis percipiunt, non enim habent votum perfectum paupertatis, nec hujusmodi Commendæ applicantur eis sub titulo aliquo spirituali, nec spiritualis officii, sed potiùs titulo seculari, nempè militari; imò Gregorius XIII. revocando motum Pii V. eis testandi facultatem concessit, sicut etiam anteà habebant; quarè prædicti Commendatarii hoc tempore graviter peccare non videntur contrà paupertatis votum proventus commendarum ludis exponendo, & ex eis consanguineos ditando. Ità Bonacina c. disp. 4. punct. 2. & Stephanus à S. Gregorio lib. 3. *de Beneficiis* cap. 81. qui plures alios adducunt, & videtur opinio communior, & probabilior. Addunt tamen id asserendum non esse Equitibus S. Joannis Baptistæ, isti namque strictius vota emittunt, & observant, & Commendæ, quæ eis conceduntur, dantur sub titulo spirituali, & cum obligatione etiam recitandi divinum officium: ac præterea censent idem dicendum esse de Equitibus istis, quod de beneficiariis dictum est, & consequenter non posse dictarum Commendarum proventus, & fructus ad libitum expendere, sed ad pios usus, nec de illis ditare parentes, vel amicos. De aliis autem bonis dicunt posse liberè pro arbitratu suo inter vivos disponere, & ratio est, quia ipsi non vovent rigidam Clausttralium Religiosorum paupertatem, sed eam, quæ inter ipsos servari solet, & jam ex usu, & experientia constat de prædictis bonis, prout libet, ipsos disponere: ex quo tandem deducunt prædictos Equites, & Commendatarios S. Joannis Baptistæ, qui ultrà sui status conditionem, pecuniam ex Commendis perceptam ludo exponunt, aut in vanos usus consummunt, graviter peccare: quamvis enim contrà voti obligationem non faciant paupertatis, quam Religiosi Clausttrales in professione promittunt, faciunt tamen contrà strictum Trid. præceptum superiùs adductum.

71 Postremò, Beneficiarii tenentur divinum officium recitare, aliter beneficii fructus non possunt facere suos, ut dictum est suprà art. 1. n. 50. ex Concilio Lateran. sub Leone X. sess. 9. §. *Statuimus*, ubi privantur fructibus Beneficiarii Horas Canonicas omittentes, & ratio est regula illa generalis, quòd beneficium datur propter officium, quod in se continet, cui sunt annexæ Horæ Canonicæ: quænam autem pars fructuum ob omissionem alicujus partis officii, vel totius amittatur, declaratum est ibidem nu. 55. incipit autem talis obligatio ab eo tempore, quo beneficiarius jus habere incipit in beneficium per collationem, & acceptionem, vel per institutionem, aut confirmationem; verum est tamen aliqua esse beneficia: quæ ex eorum institutione ad horas Canonicas non obligant, ut sunt

quæ-

mortalis reatum, quem incurrunt, qui totum unius diei officium, vel aliquam notabilem illius partem recitare omittit, inducit enim onus restitutionis fructuum pro tota omissionis officii, si elapsis sex mensibus post adeptam beneficii possessionem culpabiliter officium non recitaverit, ità enim speciali Constitutione statutum fuit in Concilio Lateranensi, sub Leone Decimo sessione 9. quæ postea à Pio V. ut suprà dictum est, renovata fuit, & explicata, & refertur hæc Bulla à Navarro cap. 25. in qua prædicta Constitutio sic declaratur, ut ille qui primis sex mensibus, post adeptam beneficii possessionem, officium non recitaverit, peccet quidem graviter non, tamen ad restitutionem teneatur vi illius Constitutionis, quòd si post illos sex menses adhuc omiserit, tunc pro rata illius omissionis ad faciendam restitutionem obligabitur. Undè qui uno die tantùm officium omisit, restituere tenetur omnes fructus beneficii, illi diei respondentes, verbi gratia qui accipit annuè 355. aureos ex beneficii fructibus tenetur pro omissione officii unius diei unum aureum restituere, qui autem Matutinum tantùm omiserit, mediam partem fructuum restituere tenetur, nempè medium aureum, qui reliquas Horas etiam mediam partem; qui verò unam tantùm ex illis, sextam partem; quæ quidem restitutio facienda est fabricæ, vel pauperibus, sive illius loci, ubi beneficium situm est, sivè alterius. Ità Layman, Filliucius, Bonac. Abellius, Diana, & alii communiter contrà quosdam dicentes, quòd si Beneficiarius intrà unius anni spatium per octo, vel decem dies tantùm officium omittat, ad restitutionem non tenetur. Quamvis autem Concilium omnes fructus prædicto modo pro omissione Divini Officii restituendos esse decrevit, addunt tamen nonnulli DD. hoc decretum cum tali moderamine intelligi posse, ut Beneficiarii, qui præter Horarum recitationem aliqua quoque onera habent annexa, verbi gratia, Pastores, Episcopi, &c. eam solummodò fructuum partem restituant, quæ judicio viri prudentis Horarum Canonicarum recitationi, servata debita proportione, respondere censetur. Ità Medina, Henriquez, Lessius, Toletus, & alii apud Layman loc.cit. immò aliqui dicunt, quòd si aliquis Pastor tenues habeat reditus ad sustentationem, ad nihil obligandus videtur ab officii divini omissionem, cùm ob alia onera, quæ annexa habere supponitur, illi sustentatio debeatur.

56 Quartò, quænam causæ ex cusant ab Horarum recitatione, conveniunt Doctores in primis excusare gravem infirmitatem, quam notabiliter talis recitatio aggravaret, in tali enim casu Ecclesia, quæ est benigna Mater, obligare non intendit, ut sumitur ex c. *Clericum vitium*, distinct. 91. in dubio autem, an infirmitas sit talis, quæ excuset, inquiunt standum esse judicio Confessarii, vel Medici, aut alterius prudentis viri. Deindè urgentem occupationem circà negotium publicum, quod notabiliter impediretur, vel convenienter fieri non posset, si diceretur Divinum Officium, quomodò Concionatores, vel Confessarii aliquando excusari possunt, & idem dicendum de urgenti occupatione circa negotium etiam privatum magni ponderis, sive proprium, sivè alienum, ut circa curam infirmorum quia in his, & similibus casibus verisimile non est Ecclesiam obligare ad Officium Divinum cum tanto dispendio boni communis, vel particularis; si tamen recitatio illa absque maxima difficultate intra eundem diem naturalem anticipari, vel postponi posset, id fieri deberet, ut si manè prævideas te totâ die Confessionibus occupandum, quæ differri non possunt. Item excusare recitandi impotentiam, undè si quis iter faciens Breviarium amittit, nec aliud reperire potest, haud dubiè excusabitur ab officio Divino; quando sine sui culpa Breviarium amisit, vel ei ablatum fuit, quia nemo ad impossibile tenetur; quando autem voluntariè, vel per negligentiam culpabilem Breviarium amisit, non excusatur, quia tunc non recitatio, seù officii omissio censetur illi voluntaria in sua causa. Ita Toletus, Suarez, Azorius, Layman, Lezana, Bonaciana, Diana, Tancred & alii passim, qui etiam addunt ignorantiam quoque excusare interdum a recitatione Divini Officii, ut si quis, v. g. illud omittat ex naturali quadam oblivione, quia scilicet, nec venit in mentem intrà tempus debitum obligatio recitandi, nec ipsa recitatio, & solùm esse potest aliqua culpa, quæ hominibus timoratis ordinariè est levis.

57 Quæres, An qui ob aliquam causam ex prædictis integrum diei Officium recitare non potest, saltem teneatur aliquam illius partem recitare, si possit. Aliqui dicunt, si quis majorem saltem, vel præcipuam Officii partem, verbi gratia Matutinum cum laudibus recitare possit obligandum esse, non autem si partem solùm minorem, & minus præcipuam, v. g. parvas Horas, vel etiam Vesperas. Ita Navarrus, Azorius, Rodriquez, & alii apud Layman loc. cit. Alii tamen communius, & probabilius dicunt, qui ob aliquam ex prædictis causis a Divino officio recitando excusantur, non tamen excusari a dicendis illa, vel illis Horis Canonicis, quas commodè dicere possunt, sicut qui debet centum, & non potest solvere, nisi decem tenetur decem solvere, & sicut qui nequit totam jejunare Quadragesimam tenetur saltem illis jejunare diebus, quibus potest. Quod si dubitet, an possit unam Horam integram recitare, certus sit autem se non posse omnes. se omnino in tali casu excusatum præsupponere potest, & præsumere; in his enim casibus Ecclesiasticæ leges cum tanto rigore obligare non intendunt, & materiam anxietatis, & scrupulorum parant. Ita Suarez, Layman, Lezana, & alii communiter. Notanter autem diximus infirmitatem gravem a recitatione Divini Officii excusare, quia levis dolor, v. g. pectoris, vel stomachi, ac etiam interdum febris tertiana, aut quartana non excusat; cùm tota die non affligat; quod si ægrum nimis laxum, & afflictum relinqueret, adhuc excusaret. Porrò taliter excusatus, & rationabiliter, alium Horas legentem audire non tenetur, nec alium substituere, ut quidam nimis scrupulose dixerunt; si tamè commodè legere potest cum socio, magis pium, & probabile est teneri. Ità Navar. Less. Filliucius, Layman, Bonacina, Diana, & alii plures. Alia plura ad hanc materiam spectantia apud præfatos Auctores videri possunt, & præsertim noviſſimè apud Tancred. de Relig. tr. 3. l. 4. & Stephanum à S. Greg. l. 3. de Divino Officio, seù horis Canonicis.

ARTICULUS SECUNDUS.

De beneficiis Ecclesiasticis, & modis licite ea obtinendi, & conditionibus ad hoc requisitis.

58 CUm beneficia Ecclesiastica sint annexa personis Ecclesiasticis, de quibus hic agimus, & hæc plures habeant obligationes annexas, ut unusquisque Beneficiarius sciat quid ratione beneficii, vel officii sùscepti præstare teneatur, necessarium judicavimus hic agere de Beneficiis, tamquam etiam de annexis ad dictas personas Ecclesiasticas. Cùm autem plura circa Beneficia Ecclesiastica à Theologis, & Canonistis disputari soleant, in præsenti magis præcipua, & maximè scitu digna tractabimus ex communiori, ac magis recepta Doctorum sententia, tàm Veterum, quàm Recentiorum.

59 Primò, itaque quamvis variæ Beneficii definitiones à Doctoribus assignari soleant, in hoc tamen communiter conveniunt, quòd nomine Beneficii Ecclesiastici intelligi debeat *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum*. Ità Lessius, Layman, Filliucius, Stephanus a Sancto Gregorio, & alii passim, & antè omnes Astesanus noster lib. 6. tit. 33. art. 1. Dicitur *Jus perpetuum*, ad excludendum Vicariam, Commendam, & Capellaniam temporalem, quæ non sunt Beneficia, de quibus Canones loquuntur. Nec obstat, quod Prioratus temporalis, vel etiam Abbatia, & aliæ Prælaturæ, apud Regulares sint Beneficia, & tamen non sunt perpetua. Quia etiam Beneficium regulare ex sua institutione non est amovibile, licèt sit amovibile respectu personæ Superiori subjectæ, undè talis amovibilitas non provenit ex natura dictæ Prælaturæ, sed ex accidenti, scilicet, ex Religionis regimine, & subjectione ad Superiores majores, qui justis de causis prædictas prælaturas nolunt esse perpetuas. Dicitur *jus percipiendi fructus propter officium*, quia in Beneficii constitutione tria concurrunt. Primum est officium, seù obligatio exercèdi aliquam actionem spiritualem, ut legendi Horas Canonicas, vel etiam administrandi Sacramenta, aut quid aliud spirituale munus. Secundùm est jus percipiendi proventum, seù fructus ex bonis Ecclesiasticis, quod jus est quid spirituale, cùm ex causa spirituali ortum ducat. Tertium est ipse proventus, qui licèt in se sit quid temporale, provenit tamen ex bonis Deo dicatis, & ideò jure spirituale exigitur, & propter officium spirituale. Dicitur tandem *auctoritate Ecclesiæ constitutum*, quia ut dictum jus percipiendi fructus Ecclesiastico dicatur Beneficium Ecclesiasticum opus est ut auctoritate Ecclesiæ erectum sit, vel confirmatum, ut communiter Doctores asserunt ex c. *Nemo*, de Consecrat. dist. 1. Tum quia solius Prælati est officia, & Beneficia in Ecclesia instituere, eisque Ecclesiasticos fructus annectere in sustentationem Ministrorum, quibus eget Ecclesia. Tum tandem quia regula 11. Juris in 6. habetur, quòd *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione Canonica obtineri*. Hæc autem institutio seù collatio iuris beneficialis dicitur, quæ ab Ecclesia Prælato fit secundùm formam a Sacris Canonibus præscriptam. Nec obstat, quòd Laici quoque Reges, aliique Principes quædam beneficia conferant; id enim faciunt non quasi jure ordinario, ac proprio, sed ex speciali privilegio, & quasi delegatione Papæ, ut Layman advert. l. 4. tr. 2. c. 1. Ex quo tandem colligitur beneficia jure Ecclesiastico esse institutia, ut colligitur ex c. 1. & 2. d. 22. & c. *Licet* de præbend. in 6. ex Clem. 1. in fin.

59 Se-

60 Secundò dividitur Beneficium in Sæculare, & Regulare, & utrumque in simplex, & compositum, seù duplex. Ità Auctores suprà citati, & Astesanus noster lib. 6. cit. tit. 22. at. 4. in fine. Beneficium regulare est illud, quod tantùm pro Regularibus institutum est, & solis Regularibus competit, ut Abbatia, Prioratus, Canonicatus Regularis, &c. Sæculare verò est illud, quod pro Clericis sæcularibus institutum; undè sine dispensatione, nec beneficium regulare Clerico sæculari conferri potest, nec vice versa beneficium sæculare Clerico regulari; ut colligitur ex c. *Cùm de beneficio de præbend. in 6. & cap. Super eo*, de Regularibus. Omne autem beneficium præsumitur esse sæculare, nisi probetur esse regulare, vel ex prima sui institutione, vel per possessionem pacificam quadraginta annorum, per eam enim ex sæculare fit regulare; & sic etiam è contrà poterit probari beneficium esse sæculare ratione præscriptionis, ut patet ex cap. *De Quarta*, de præscript. & notat. Gloss. in cap. *Cùm de beneficio* de præbend. in 6. Beneficium compositum, seù duplex est illud, quod habet adjunctam aliquam administrationem, aut eminentiam in Ecclesia cum jurisdictione in foro externo, qualia sunt beneficia curata, Archidiaconatus, Episcopatus, &c. Beneficium verò simplex dicitur illud, quod nullam administrationem, aut eminentiam hujusmodi habet, sed tantùm institutum est ad preces Deo fundendas, aliaque Divina officia obeunda, quales sunt Capellaniæ, Canonic. sive sæcul. sivè regul. &c. undè beneficia simplicia a compositis, sivè duplicibus distinguntur, quatenus simplicia sunt instituta tantùm ad preces fundendas; duplicia verò habent aliquam administrationem annexam; & inter beneficia duplicia, quædam sunt majora, ut Papatus, Episcopatus, Cardinalatus; quædam media, ut reliquæ dignitates Ecclesiasticæ, personatus, & officia; denique quædam absolute Parochialia dicuntur. Ità Navar. Lessius, Azorius, Layman, & alii passim de hac materia tractantes; qui etiam alias Beneficiorum divisiones assignant, sed istæ sunt principaliores, & ad nostrum institutum sufficientes.

61 Tertiò Beneficia Ecclesiastica tribus modis communiter obtineri solent. Primò per electionem, & confirmationem, quæ quidem electio sit a pluribus, ut a Capitulo, & a solis Ecclesiasticis per suffragia; confirmatio verò est a solo Superiore, & est collatio beneficii facta electo, si electum idoneum esse intelligat. Secundo, per præsentationem Patroni præviam, & institutionem subsecutam a Prælato Ecclesiæ factam, si præsentatus sit idoneus; undè presentatio in eo differt ab institution e, quod illa est nominatio alicujus personæ idoneæ Patronum Episcopo facta, vel alteri, ad quem collatio pertinet, institutio autem est ipsius beneficii, juriumque ipsius collatio, & attributio, quæ solum per Ecclesiasticos fieri potest, præsentatio verò etiam per Laicus: & quamvis per Patronos præsentato, & nominato jus ad rem conferat, itaut beneficium alteri conferri nequeat, si sit idoneus, jus tamen in re, & collatio beneficii per institutionem datur. Tertiò tandem per collationem liberam, quando nimirum beneficium solo jure Prælati datur, nec subest juri Patronatus, undè etiam Beneficia ex modo ea conferendi dividuntur in Electiva, Patronatus, & Libera. Quamvis autem hi tres sint communiores, & frequentiores modi obtinendi beneficia; alii etiam duobus modis interdum obtineri possunt, nimirum Resignatione in favorem alterius cum secuta collatione, & etiam interdum Permutatione. Resignatio est, quando quis suum beneficium liberè resignat, seù dimittit in manibus collatoris in favorem alterius. Permutatio verò, quando hæc resignatio sit causa permutandi beneficii cum alterius beneficio. Quoniam verò, ut suprà dictum est, beneficia jure Ecclesiastico sunt instituta, ideo supremus, & universalis omnium beneficiorum collator est Papa, quia ipse est supremus dispensator bonorum Ecclesiasticorum, & Ordinarius Ordinariorum, & ita decernitur in cap. cit. *Licet de præbend.* in 9. in Clem. cit. ubi habetur. *Romanum Pontificem plenam, & liberam potestatem habere super beneficia*. In qualibet verò Diœcesi Episcopus est proprius beneficiorum collator, nisi ex legitima præscriptione hoc jus alteri competat, & ratio est, quia Episcopus in sua Diœcesi est moderator sacrorum; ergò & ad ipsum spectat officia, & beneficia, sacra conferre. Ità DD. omnes supra cit. & alii passim.

62 Quartò, ut beneficium aliquod licitè, & legitimè obtineatur aliquæ conditiones requiruntur. Prima, ut sit Clericus saltem primæ Tonsuræ, alias ad quodlibet beneficium inhabili censetur, ut constat ex cap. *Cùm Deo* 17. descriptis, & ex c. *ex literis* in 6. de transactionibus. Secunda, ut sit ex legitimo thoro procreatus, illegitimus enim cujuscumque beneficii incapax est, nisi cum eo dispensetur. Tertia, ut sit legitimæ ætatis capit. *Cùm in cunctis* de electione, nisi dispensetur, ætas autem pro beneficio simplici determinatur annus decimus quartus, ad Curatum vigesimus quintus inceptus, ad Episcopatum verò trigesimus annus incæptus, ut colligitur ex Trident. sess. 22. & 23. Quarta, ut nullo sit inhabilis juris impedimento, quali est irregularitas, vel excommunicatio, aut alia censura Ecclesiastica; collatio enim beneficii facta excommunicato excommunicatione majori, suspenso, interdicto, vel irregulari nulla est, & ipso facto irrita, ut habetur c. *Postulasti* 7. de Clerico excommunicato, &c. *Tanta* 18. de excessibus Prælatorum, &c. *Cùm dilectus* 8. de consuetudine. Quinta, ut sit bonis moribus, & doctrina sufficienti prædius, ut habetur cap. *Cùm in cunctis* de electione, & ex Conc. Trid. sess. 24. cap. 12. dignitas enim personæ, ut ad beneficia assumi possit, in tribus præsertim consistit, scilicet, in morum probitate, in scientia saltem earum rerum; quæ ad suum spectant officium, & præterea in aptitudine ad suum munus exercendum, qui enim bonus est, & doctus, nescit tamen exercere suum munus, vel nò potest ob alias occupationes, vel quia non est datus praxi, & exercitio exteriori, tunc non censetur dignus, ut Majolus Rodriquez, Fernandez, & Toletus advertunt, & plures alii. Sextà denique est, ut non sit conjugio copulatus, ut habetur cap. 1. 2. & 8. de Clericis conjugatis, & in Trident. sess. 22. cadit. undè si quis Clericus beneficium habens, & antè sacrorum Ordinum susceptionem Matrimonium contrahat, ipso jure illud amittit, ut communis Ecclesiæ praxis, & Doctorum sententia demonstrat. Imò, ut habetur cap. *Super inordinata*, & cap. *Gravi* de præbendis, qui recipit beneficium quodcumque, tenetur habere determinatam intentionem status Ecclesiastici, Ordinisque muneri suo necessarii, & permanendi in statu Clericali; undè deducunt Doctores illum mortaliter peccare, qui beneficium aliquod acceptat absque tali intentione, sed solum modo, ut ejus fructus per aliquod tempus accipiat, v. g. donec studiorum cursum absolverit, vel opulentam uxorem invenerit, imò Navarrus, Lessius Laym. & alii dicunt in tali casu non posse beneficium illud licitè retinere, & ad restitutionem teneri fructuum perceptorum, quia tamen addunt, quod si ex justa causa post modum status Clericalis non satis illis convenire videatur, potest animum mutare, v. g. si primogenitus familiæ, aut frater unicus sine liberis decedat, ad conservationem familiæ nobilis, vel graves lites sopiendas inter cognatos hæredes, & ratio est, quia pia Mater Ecclesia ità ad Clericalem statum obligare nò intendit, ut hęc, & similia bona impediantur.

63 Quintò ex dictis colligitur, quinam dicatur beneficio Ecclesiastico dignus, & quinam indignus, dignus enim dicitur ille, qui suppositis alii conditionibus habet morum honestatem, scientiam quoque ad tale munus sufficientem, ac denique prudentiam, & industriam rerum gerendarum, prout ad tale officium desideratur; indignus verò dicitur ille, qui talibus caret conditionibus, & conveniunt Doctores grave peccatum esse Ecclesiastica beneficia conferre indignus, ut testatur Innocentius cum Concilio generali in capit. *Grave nimis* de præbendis, & conferentem teneri ad restitutionem damnorum, & pœnas juris incurrere, quas Rebuffus memorat in pract. benefic. de pœnis contrà collatores. Est tamen difficultas, an beneficia sint semper dignioribus conferenda, quam fusè suprà discussimus disp. 6. de obligationibus justitiæ distributivæ q. 1. ar. 1. de distributione officiorum sæcularium, & Ecclesiasticorum nu. 7. & seq. Undè ex ibi dictis modò breviter asserendum est, quòd licèt ille, qui beneficium resignat in favorem alterius, dignissimum quærere non teneatur, sed sufficiat, si dignum quærat, electores tamen, præsentatores, & collatores quantum in ipsis est semper curare tenentur, ut beneficia præsertim curam animarum annexam habentia dignioribus conferantur, itaut graviter peccet, & mortaliter is, qui eligit, præsentat, aut confert beneficium præsertim curam animarum habens annexam digno prætermisso digniori, qui nimirum aptior videtur, spæraturque multò melius tali officio functurus; notanter autem hoc asseritur præsertim de beneficiis curam animarum annexam, habentibus, quia ut dictum est loc. cit. loquendo de beneficiis simplicibus facilius excusari possunt electores à peccato mortali eligendo dignum prætermisso digniori; dummodò tamen communiter, & frequentius dignores eligant, quia si communiter, & frequenter, eos prætermitterent, non facilè à gravi culpa excusari possent, siquidem sit faciendo brevi temporis intervallo Ministris indignis Ecclesia repleretur, ut ibi dicebamus cum Cardin. de Lugo disp. 35. *de Justitia, & Jure* sect. 2. Immò addunt aliqui etiam beneficium curam animarum habens annexam posse in aliquo casu digno conferri, prætermisso digniori, si id fiat ex legitima causa; quia si, verbi gratia, Patronus dignum præsentet, collator cò ferre tenetur, etiamsi alios digniores noverit, & aptiores ad tale officium. Item si beneficium ex institutione sua alicui ex certa familia sit conferendum, tunc enim aptiori ex illa familia conferendum erit, etiam aliis aptioribus prætermissis extrà illam; extrà autem hujusmodi casus beneficia hujusmodi curam animarum annexam habentia semper dignioribus sunt

quædam Proposituræ, aliqui Personatus, & Præstimonia quædam, quæ tantùm requiruntur quotidiè Officii B. Virginis recitationem, vel quinque Pater, & Ave, vel psalmum Miserere, ut Navarrus, Lessius, Stephanus à S. Greg. & alii passim advertunt. Insuper intrà annum à collatione beneficii curati tenetur beneficiatus Sacerdotii Ordinem suscipere, quem si non suscipit, amittit ipso jure deinceps beneficii fructus, illosque restituere tenetur, ut Navar. advertit in Manuali c. 25. & de oratione 22. ità enim statuitur can. de elect. l. 6. quod qui intrà annum à collatione beneficii curati Sacerdotio non initiatur, ipso jure beneficio privetur; quamvis autem aliæ quoque sint obligationes Beneficiariorum, principaliores tamen sunt assignatæ, quæ culpam mortalem inducunt, ac etiam interdum fructuum beneficii restitutionem.

ARTICULUS QUARTUS.

De Pluralitate Beneficiorum simul, & de Pensionibus.

72 PRimò certum est simpliciter, & absolutè loquendo plura simul habere beneficia non licere, ità enim decernitur cap. *Singula* 89. dist. & in Concil. Trident. sess. 24. cap. 17. & hæc prohibitio intelligenda est de omnibus beneficiis tam curatis, quam simplicibus, ut declaravit Congreg. Cardinalium quam affert Emanuel Sa in summa 31. cujus rationem reddit Concilium loc. cit. quia pluralitas hujusmodi magnam inordinationem involvit, dùm minuitur cultus divinus; Ecclesia operariis, fundatur pia intentione, pauperes nitiliores Ecclesiæ futuri sustentatione privantur, quando unus plurium officia occupat, & idest ibi statui, ut imposterum unum tantùm Ecclesiasticum beneficium singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandum non sufficiat, liceat, nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri. Ità ad verbum Conc. Trident. loc. c. ubi proindè declarat plures Episcopatus, quamvis exiguos, & plura beneficia curata, quamvis exigua, simul habere non licere, item nec plura, quæ residentiam requirunt, quales sunt Canonicatus, & similia, nec etiam plura simplicia, cùm unum sufficit ad decentem beneficiarii sustentationem. Notanter autem diximus regulariter, & ordinariè loquendo plura simul beneficia habere non licere, quia in quibusdam casibus plura simul habere licet etiam sine ulla dispensatione. Primò, cùm unum non est satis ad congruam sustentationem beneficiati, dummodò utrumque personalem residentiam non requiratjut ait Concil. l. c. Secundò, quando beneficia sunt legitimè unita, ut quando Parochia est Canonicatui annexa, eique accessoria, tunc enim utrumque per modum unius possidetur. Tertiò cum talia beneficia, vel saltem alia, excepto uno, personalem residentiam non requirunt, in his enim casibus nulla requiritur dispensatio, ut docent Nav. Angel. Tol. & alii.

73 Secundò addendum tamen est cum Layman, Lessio, Azorio, & aliis, quòd si plura illa beneficia compatibilia talia sint, quòd unum ad honestam sustentationem sufficiat, ut licitè simul haberi possint, requiritur specialis Papæ dispensatio, quæ etiam non nisi ex justa causa, & honesta est concedenda; undè qui per dispensationem plura talia beneficia obtinuit, nisi justa causa subsistit, non erit in conscientia tutus, sed alterum resignare tenebitur, ut docent præfati Doctores; porrò justa dispensandi causa est, ut etiam communiter Doctores docent, evidens necessitas, & utilitas Ecclesiæ, & quandoque etiam prærogativæ, & merita personæ, v. g. insignis notabilitas, dignitas, scientia, auctoritas, virtus &c. Modò caveatur ne beneficiorum coacervatio etiam ob personæ prærogativam facta ad privatum tantùm, & non ad commune bonum referatur; ut notat Busembaus lib. 4. cit. cap. 2. art. 4. & tandem, ut ait Abellius in Appendice de statu Clericali qu. 4. de illa necessitate, & utilitate Ecclesiæ, ac justa dispensandi causa; an talis, sit, quæ pluralitatem illam beneficiorum coram Deo excuset, penes ipsum Pontificem judicium residere debet; quia cessante causa rationabili, & justa, sivè honestæ sustentationis, sivè necessitatis, aut utilitatis ipsius Ecclesiæ, illicitum est plura beneficia, quamvis compatibilia, simul retinere; nec ad id ulla Summi Pontificis dispensatio suffragari potest, cùm hæc beneficiorum qualiumcùque pluralitas juri naturali repugnet, quando nulla justa, & rationabili causa cohonestatur, & ità ait sentire præfatus Auctor D. Bernardum epist. 271. ad Theobaldum Campaniæ Comitem, & lib. 3. de Consideratione ad Eugenium & D. Thomam quol. 9. art. 5. & plures alios Recentiores ab eo citatos, & præsertim Cardin. Bellarminum in Epistola ad Episcopum Theannum Nepotem suum, ubi postquam dixit sacros Canones multiplicitatem beneficiorum horrere, addit Theologos Parisienses post longam disputationem anno 1238. definisse. *Neminem posse duo beneficia, si unum sufficeret ad eum alendum, obtinere sine peccato mortali*, quod etiam posteà a Conc. Trid. definitum est loc. cit. Hæc autem omnia de pluralitate beneficiorum illicita optimè insinuavit Astes. noster l. 6. tit. 33. ubi contrarium docentes appellat divitibus obedientes, & vitia palpantes, ac fovenentes.

74 Tertiò, quoniam non minora inconvenientia, nec leviores abusus in materia pensionum contingere solent, quàm pluralitatis beneficiorum, nonnulla de pensionibus quoque subdere necessarium duxi, licèt, non satis libenter, quia Veteres Doctores, quos præfertim, ut Magistros veneror, parùm, vel nihil de hæc materia tractant. Pensio itaque communiter definiri solet, quod est jus percipiendi fructus ex alieno beneficio, cui juri nomen hoc *Pensionis* impositum est, non solùm ad indicandum pondus, & unus solutionis, quod fert Beneficiarius, ex sui beneficii fructibus, sed etiam ad significandum, quod non tantum beneficiario quotidiè pensare incumbit, quomodo, & quando talem pensionem solvere debeat, sed etiam pensionario, quod talis pensionis exactæ coram Deo rationem est redditurus, an justè, & ex justa causa eam exigerit. Pensio autem triplex est, ut Toletus advertit cum aliis lib. 5. c. 82. quædam est temporali, quædam spiritualis, & quædam media, seù mixta, quia nec est omninò temporalis, ut prima, nec omninò spiritualis, ut secunda. Temporalis, quæ datur propter Ministerium temporale Ecclesiæ exhibitum, v. g. Æconomo, Cantori, Æditui, quæ proindè etiam laicis confertur, spiritualis est, quæ datur alicui ob officium aliquod spirituale erga Ecclesiam, & titulo merè spirituali, ut quæ datur Concionatori, & Coadjutori Episcopi, vel Parochi. Altera media, seù mixta est, quæ fundatur quidem in statu spirituali, seù Clericali, non tamen propter spirituale ministerium conferitur, sed ob aliam causam, ut quæ datur Clerico pauperi, vel Parocho seni ad sustentationem, vel quæ datur causa resignationis, vel litis componendæ. Prima pensio dicitur laicalis, quia laicis etiam datur; duæ posteriores verò dicuntur Clericales, quia Clericis tantùm conferuntur; inter pensionem verò laicam, & Clericalem hoc præsertim versatur diserimen, quod illa nihil prorsus cum Ecclesiastico beneficio commune habet; hæc autem cum eo multom convenit, siquidem, & jus spirituale est, vel potiùs spirituali annexum, & statum Clericalem requirit, quamvis autem pensio Clericalis multum cum Ecclesiastico beneficio conveniant, adhuc tamen ab eo differt, nec beneficium Ecclesiasticum propriè dici potest, quia non est jus percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis ex se in perpetuum, sed tantùm temporale. Beneficium verò ex sua institutione est ità durabile, ut ex unius amotione, qui illud possidebat, alium requirat posteà, cui sit conferendum. Ita Nav. Tol. Layman, Filliuc. & alii passim.

75 Quartò, quisnam autem pensiones beneficiis imponere possit, certum est Summum Pontific. talem habere potestatem pensiones imponendi ob justam causam, cum in beneficiis plenissimam habeat potestatem cap. 2. de præb. in 6. Dixi ob justam causam, quia ut ait Tol. l. c. c. 83. concessio pensionis est quædam dispensatio, dispensatio autem sine causa non habet locum in foro interiori, & coram Deo; quia Pontifex bonorum, & redituum Ecclesiæ non est dominus, sed tantùm dispensator universalis; undè sicut cum dispensat in voto sine causa, non facit hominem in conscientia secutum; ita in pensionum, & beneficiorum distributione, quarè nullus sine justa causa, quamvis dispensatus à Summo Pontifice, potest illas tuta conscientia habere. Ita etiam discurrit Stephanus a S. Greg. l. 3. *de Pensione* c. 84. & ait esse communem Theologorum sententiam, pro qua etiam citat Lessium, & alios, ac etiam Fernandez p. 4. c. 15. §. 6. ubi etiam addit justam causam ad concedendam pensionem esse omnem illam, quæ in utilitatem Ecclesiæ cedit. Atque ideò in primis concedi posse pro dirimenda lite exorta inter duos circa idem beneficium, ne tempore litis Ecclesia legitimo pastore careat, ut habetur cap. *Nisi essent. de præbend.* Deindè concedi posse alicui pro servitio Ecclesiæ facto, vel faciendo sivè corporali, sivè spirituali. Item concedi posse Clericis pauperibus, quia illorum congrua sustentatio in decus, & honorem Ecclesiæ resultat. Præterea etiam concedi posse laicis egenis, quia pietas Ecclesiam, ut piam Matrem exornat; ac tandem concedi posse in permutatione pinguioris beneficii in minus pingue, ut permutanti fructus integri maneant ad decentiam sui status servandam. Quamvis autem proprium sit solius Pontificis pensiones designare, & imponere, addunt tamen aliqui id etiam posse Episcopum in quibusdam causis specialibus, & necessariis, v. gr. propter paupertatem, & senium resignantis, vel litis compositionem, vel propter adæquandos fructus in permutatione bene-

beneficiorum, quamvis non in perpetuum, neque cùm facultate transferendi ad alterum, sed solum ad vitam pensionarii, idest, ejus, cui pensio designatur, ut habetur in c. cit. *Nisi essent de præbend.* Ita Layman, & Filli. pro qua sententia plures alios adducunt; id enim Episcopis competere poterat in certis casibus jure antiquo, cui non est derogatum ex nova Constitutione Pii V. ut Filliucius declarat tr. 42. *de Pensionibus* c. 2.

76 Quintò, ad hoc ut pensio dicatur legitimè, ac juridicè imposita, debet esse moderata, itaut beneficiato relinquatur sufficiens sustentatio, ut fusè probat Gigas de Pensionibus q. 6. & 9. talis autem plerumque censetur esse tertia pars fructuum unde in beneficio Parochiali potest imponi pensio, quando tamen tale beneficium excedat summam centum scutorum, nam juxtà Concilium Trident. sess. 24. cap. 13. *de Reform.* vetitum est, ne Parochi pensione graventur, nisi ultrà dictam summam centum ducatorum ex beneficio habeat, & talis est communis usus; sic etiam in Episcopatu pensio imponi potest, quando fructus Episcopatus excedunt summam mille aureorum, ut dicitur in Conc. loc. cit. adeout ultrà pensionem centum remaneant pro Parocho, & mille pro Episcopo; nec obstat, si Beneficiarius haberet pingue patrimonium, quia dicti fructus dantur illi, tamquam merces operis, & ministerii, undè cùm hujusmodi fructus in ea quantitate sint ei assignati ratione stipendii ex eo, quod laboraverit, vel laboret pro Ecclesia, & tale stipendium sit ei jure naturali, & divino debitum, quia dignus est operarius mercede sua, non potest juridicè tali stipendio privari per impositionem pensionis, ut latè probat Az. l. 6. v. p. q. 1. cum pluribus aliis, qua ratione multi etiam asserunt in distributionibus quotidianis pensionem juridicè imponi non posse, quia dicti fructus dantur, tamquam merces operis, & ministerii ex cap. 1. de Cleric. non resid. & ità tenet Joan. Andreas in rubric. *de Conceff. Prabend.* Felinus c. *Ad aures de rescr.* Oldradus consil. 117. & plures alii. Notant etiam hic communiter DD. quod quamvis beneficium sit juris patronatus, adhuc potest super illud pensio imponi, nec ad id requiri patroni consensum, quia id nullo jure statutum est, nulla ei fit injuria per talem impositionem; cum is fructus ex beneficio non percipiat, sed tantùm habeat ius instituendi, & præsentandi quod ei non adimitur; huc tamen inreligendum est, nisi ratione paupertatis patroni essent ipsi applicandi fructus beneficii, in tali enim casu, quod patronus verè pauper esset, & alimentis indigeret, & fructus beneficii non sufficerent pro dicto beneficiario, & patrono. nullo modo in tali beneficio posset censio assignari, nam patrono indigenti tenetur Ecclesia, seù Beneficiarius beneficium iurispatronatus habens alimenta præbere ex cap. *Piamentis*, & c. *Filius* 16. q. 7. & potior in tali casu reputanda est causa patroni, quàm pensionarii advertit Stephanus a S. Gregor. l. 3. cit. c. 84. num. 11.

77 Postremò, circa obligationes pensionarii conveniunt DD. esse obligatum ad recitandum Officium B. Virginis post Constitutionem Pii V. nec facit fructus suos, si omittat, item non posse exigere pensionem in conscientia, nisi priùs litteras Apostolicas obtineat dictam pensionem concedentes, nec sufficiet simplex impetratio, ut probat Gigas de Pensionibus q. 34. Præterea valdè probabile est cum Molina tom. 1. *de Justitia & Jure* tr. 2. disp. 145. & pluribus aliis, pensionarium teneri eodem modo, ac beneficiarium superfluos fructus pensionum in pios usus expendere, illos autem, quos sibi subtraxerit ex propria, & debita sustentatione expendere posse, ut volverit, ut de beneficiatis dictum est; rursus tenetur pro rata pensionis ad solvenda onera fructibus beneficii supervenientia ab eo, qui potest imponere, nisi pensio sit reservata libera, & ab omni onere exempta ut Fill. advertit tr. 42. cit. c. 7. sicut è contrà Beneficiarius non tenetur ad pensionem solvendam, si fructus beneficii in totum, vel in partem perierint, ut communiter Doctores docent, & videri potest apud Gigantem, Felinum, Azorium, & alios passim. An verò quis plures possit pensiones habere; dicendum est cum Stephano a S. Greg. id ex jure communi non esse prohibitum sicut est de beneficiis, attamen spectato iure naturali, habens unam pensionem sufficientem ad honestam vitam, non potest aliam habere, ne unus esuriat, & alius ebrius sit; possunt tamen alicui ob merita, ob nobilitatem, litteraturam, vitæ probitatem, & alias prærogativas plures concedi pensiones; quod tamen intelligendum est cum limitatione superius posita circa pluralitatem beneficiorum, dummodò periculum absit, ne pensionum coacervatio etiam ob personæ prærogativam facta ad privatum tantùm, & non ad commune bonum Ecclesiæ referatur. Denique conveniunt Doctores pensionem ex se non esse perpetuam, sed extingui per mortem pensionarii, sicut usus fructus morte usufructuarii, posse tamen Papam ex plenitudine potestatis facere perpetuam; sed in his & similibus casibus summa Pontificum prudentia, & zelus optimum D. Bernardi documentum l. 3. cit. de Consideratione ad Eugenium advertere deberet, quòd cum plenitudine potestatis concurrat etiam plenitudo iustitiæ; ubi enim necessitas urget, excusabilis dispensatio est; ubi utilitas provocat, dispensatio laudabilis est, utilitas, dico, communis non propria, nam cùm nihil horum est, non planè fidelis dispensatio, sed crudelis dissipatio est. Ita Bernard. l. 3. cit. propè finem optimo zelo ductus.

QUÆSTIO TERTIA.

De Simonia.

78 QUoniam Simoniæ sacrilegium Clericis specialiter interdictum est, & nedùm in beneficiis obtinendis committi potest, sed etiam in aliis casibus emendo, aut vendendo res sacras, ideò separatim de Simoniæ sacrilegio in hac quæstione tractamus, quia copiosiorem exigit tractationem; hoc autem Simoniæ nomen, originem duxit a Simone Mago, quia primus hic fuit in lege gratiæ, qui Deo donum, seù Spiritum Sanctum emere volebat, ut illum vendereet actorum 8. ut ait D. Augustt. tract. 10. in S. Joan. *Volebat emere Spiritum Sanctum, quia volebat vendere Spiritum Sanctum*; ex quo factum est, ut peccatum illud, quo aliquid spirituale, aut spirituali annexum pecunia, aut aliqua re pretio æstimabili emitur, aut venditur, Simonia nuncupetur, & sic etiam de hoc sacrilegio discurrit D. Thomas 2. 2. q. 100. art. 1. Hic igitur breviter perstringemus, quæ pro hac materia sunt magis necessaria.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid, & quotuplex sit Simonia, & quale peccatum.

79 PRimò, Simonia communiter definiri solet tàm Theologis, quàm à Canonistis, quod *studiosa voluntas emendi, aut vendendi pretio temporali aliquod spirituale, vel spirituali annexum*, quam definitionem ità declarant ex nostris Astesanus lib. 6. tit. 13. art. 1. & Nicolaus de Orbellis 4. dist. 25. quæst. 2. dicitur *Studiosa voluntas*, ut intelligatur esse actus deliberatus, & non surreptitius, & debet esse actus voluntatis qui ad effectum deducitur, seu voluntas ad actum exteriorem progressiva, ut loquitur Gloss. 1. q. 1. *Qui studet*; quia quamvis simonia mentalis sit peccatum non tamen obligat ad restitutionem rei acquisitæ spiritualis, vel temporalis, nisi sequatur effectus emptionis, vel venditionis, seù nullo pacto intervenient, extra de simonia, mandato nostro. Nomine verò emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus, quia simonia sine pactione aliqua non consistit tacita, vel expressa, & obligatione ex pacto; quod additur, quia obligatio naturalis quæcumque ut gratitudinis, non sufficit, v. g. quando quis speras, vel intendit tantùm, non tamen obligat, quia non facit contractum. Nomine pretii temporalis intelligitur pecunia, vel aliquid pecuniæ æstimabile, qualiter est munus a lingua, vel a manu, vel ab obsequio, ut communiter docent Theologi, & infrà declarabitur. Nomine tandem rei spiritualis, quæ per simoniam emi, vel vendi dicitur, intelligitur omne id, quod est aliquo modo supernaturale, hoc est, quod a Deo procedit, ut est auctor gratiæ, vel ad Deum, ut est auctor gratiæ ordinatur, sivè sit aliquod reale, sivè morale tantùm, sivè per modum actus, sivè per modum habitus, ut sunt virtutes supernaturales, gratiæ gratis datæ, aut gratum facientes, Sacramenta, & quilibet ejus potestatis aliquus supernaturalis, ut est consecratio, absolutio, dispensatio, benedictio, excommunicatio, electio, præsentatio, confirmatio, collatio beneficii, aliique actus Ecclesiasticæ jurisdictionis; dicitur tandem *vel Spirituali annexum* ad comprehendendum ea, quæ non sunt pure spiritualia, sed ad eas ordinantur, eisque sunt annexa, vel quia ad officium spirituale pertinent, qualia sunt beneficia Ecclesiastica, & vasa, ornamenta, & cætera supellectilia sacra; ex quo patet malitiam simoniæ consistere in irreverentia, quæ committitur, dum res spirituales instar temporalium pretio æstimantur, & contractibus subiiciuntur.

80 Secundò conveniunt Doctores, pretium quod pro re spirituali tradi solet, & cujus ratione simonia committitur, triplex esse, scilicet munus a manu, munus a lingua, & munus ab obsequio, ut Astesanus noster advertit l. cit. art. 3. & fusè Bonacina declarat disp. 1. de simonia quæst. 1. paragr. 1. sic enim habetur in cap. *Salvator* 1. qu. 3. & ad hæc tria rerum genera omnia alia revocari possunt, quæ in pretium pro re spirituali

tradi